

Haftæ Taurini, vel alibi debeant solvere pro guardia, & pensione medietatem tantum de eo, quod solvebant ante dictum compromissum, scilicet tempore dicti compromissi facti ab Astensibus.

XLII. Item quod quilibet prixonerius ubicumque sit a carceribus liberetur, & dimittatur isto solvente guardias, & pensiones, & debita, quæ contraxit in carceribus.

XLIII. Item quod si aliqua Civitas non observaret præcepta sibi facta, quod commune Mediolani debeat dare alteri civitati observare volenti castra, & fortia illius civitatis ec. salvis omnibus aliis præceptis, quæ fiunt hinc ad 15. dies.

XLIV. Item præcipimus prædictis partibus, ut prædicta omnia in quolibet capitulo ec. debeant observare, attendere &c. quæ omnia pronunciata, & judicata ec. sunt in præsentia DD. Barozii de Burgo per Astenses, & Gullielmi Cavegii, & Villelmi Gardini, & Gullielmi Cacairani, & Gullielmi Cassini, & Gullielmi de Rivario, & Thoma de la Curte Ambaxiatorum communis Astensis, & Uberti Spinolæ, & Bonifacii de la Volta, & Petri Venti, & Ugonis de Grimaldi, & Gullielmi Pistarini, & Ugonis Cancellarii, & Opizonis Tartarei Ambaxiatorum communis Ianuæ, & Cunradi Oculicapræ, & Oberti Malpassuti, & Rogerii Caraxii, & Pagani iudicis Ambaxiatorum communis Albæ, & DD. Rambertini de Ghisleriis potestatis Alexandriæ, & Ottonis Rubei, & Ruffini Guaschi, & Ruffini Asinari, & Othonis Lanzavegiæ, & Gullielmi de Carlo, & Ruffini de Foro, & Filippi de Cirimello, & Guidonis de Piora, & Jacobi Pectenarii Ambaxiatorum communis Alexandriæ, & Claputii consulis communis Derthonæ, & Ruffini Malpaxuti, & Bergami iudicis Ambaxiatorum communis Derthonæ, & Gullielmi Zuchæ Ambaxiatoris communis Taurini, ibi existentium pro communibus eorum.

Sententia Episcopi Terdonensis confirmans decretum Anselmi Episcopi Aquensis adversus monasterium S. Petri.

176

MCCXXVII.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXV., indictione XV., die lunæ II. exeunte novembre in Terdona, & in palatio Episcopali ante D. Petrum Terdonensem Episcopum executorem datum per D. Papam Gregorium, sicut apparet ex tenore rescripti, quod tale est: Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fr. Episcopo Terdonensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Dilecti filii capitulum Aquense sua nobis petitione monstrarunt, quod cum inter ipsos ex parte una, & Abbatem, & Conventum S. Petri Aquensem ex altera coram Ven. Fr. nostro Aquensi Episcopo super jure Parochiali quæstio verteretur, idem cognitis causæ meritis definitivam pro eis exigente justitia sententiam promulgavit, a qua licet altera pars ad Ven. Fr. nostrum Mediolanensem Archiepiscopum appellaverit, non tamen prosequi curavit appellationem emissam, quare humiliter petierunt, ut eandem sententiam Apostolico roborare munimine dignaremur. Ideoque

fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam factam, sicut est justa, facias per censuram Ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari. Datum Laterani IV. id. aprilis Pontificatus nostri anno primo (1). Controversia vertebatur inter magistrum Henricum Syndicum majoris Ecclesiæ Aquensis ex una parte, & magistrum Sirum Syndicum monasterii S. Petri ejusdem Civitatis ex alia. Dicebat iste magister Henricus, & petebat a dicto D. Episcopo, ut sententiam latam inter Canonicos, & jam dictum Monasterium per D. Anselmum Aquensem Episcopum super jure Parochiali civitatis Aquensis, & burgi auctoritate jam dicti rescripti deberet executioni mandare, quia cum jam retro longo tempore fuisset sententia lata, & ab ea jam fluxissent quatuor anni, & pars dicti monasterii non curasset appellationem interpositam ad D. Fr. Henricum Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopum prosequi, omnino mandanda erat prædicta sententia executioni. Ad quod respondebat Syndicus monasterii, quod pluribus de causis non erat dicta sententia executioni mandanda per D. Episcopum, istum. Primo quia capitulum Aquense sicut dicebat duo rescripta impetraverat a D. Papa super jam dictam executionem in eadem forma, & ad diversos iudices, unde utrumque debebat effectu carere. 2. Quia dicta sententia non erat tempore confirmata, cum per D. Archiepiscopum stetisset, quominus causa appellationis fuisset finita, & per partem adversam. Dicebat enim partes inter se pepigisse, ne excursus temporis deberet alicui parti nocere, quæ duo pars adversa inficiabatur, super quibus pars monasterii suos testes induxit. Unde D. Episcopus visis attestationibus, & allegationibus, & omnibus actibus, & tenore sententiæ diligenter inspectis, & habito sapientium consilio auctoritate D. Papæ ex officio executionis præcepit D. Sindico, & per eum monasterio scilicet Abati, & Monachis, ut debeant parere jam dictæ sententiæ, nisi velint pœnam excommunicationis incurrere, non obstantibus præallegatis a parte monasterii istius. Interfuere testes D. Balduinus de Zezema, Balduinus de Baxio (2) magister Egidius de Castelleto, & Johannes Petri Johannis. Ego Lantelmus de Casellis Not. S. P. interfui, & jussu D. Episcopi Terdonensis scripsi. Ego Ubertus Galea ec.

(1) *Aliam postmodum delegationem impetraverat capitulum Aquense ab hoc eodem S. Pontifice, qui eam commisit Archipresbitero Teob., & Willelmo de Monte Merlo Canonicis Terdonensibus, estque ad literam huic simillima, nisi in eo quod eis in fine tribuit facultatem subdelegandi alios duos ex eorum capitulo, si ipsi fuerint aliqua causa distenti. Datum Anagninæ idib. julii Pontif. nostri an. I. (2) Buxo.*

Mandatum D. Vvillelmi marchionis de Bosco ad capiendam possessionem Murusaschi, & Trexobii.

MCCXXVIII.

177

Anno a Nativitate Domini MCCXXVIII., indictione I., die Martis VIII. intrantis februarii. in castro Uuado D. Willelmus marchio de Bosco

N